



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 11. Thomas a Ludovico Rege benigne excipitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

profugum in terras suas reciperet. Rex Sæcul. XII.  
 Franciæ verba illa: *olim Archiepiscopus*, A.C. 1164.  
 admiratus, quæsivit, quis eum deposuis-  
 set? adjecitque: *sane & ego æque Rex*  
*sum ac Rex Anglorum, & nihilominus*  
*nec minimum Clericorum in Regno meo*  
*deponere possum.*

## §. XI.

*Thomas a Ludovico Rege benigne  
 excipitur.*

Hebertus Boscamensis, & quidam alias  
 ex Archiepiscopi sociis, vestigia E-  
 piscoporum, a Rege Angliæ missorum,  
 id nescientium, sequebantur, profectio-  
 nem suam ita temperantes, ut illi semper  
 unius diei itinere præcederent. Cum  
 ergo Hebertus quoque & ejus comes per-  
 venissent ad Franciæ Regem, qui Tho-  
 mam ex eo jam tempore, quo Cancella-  
 rii officium obierat, noverat, & maximi  
 faciebat, interrogavit, an ad Familiam  
 Archiepiscopi pertinerent, idque affir-  
 mantes osculo dato de more salutavit,  
 & propenso animo, quid peterent, audi-  
 vit. Illis deinde, quanta Archiepisco-  
 pus tulisset, & quam propinquam effu-  
 gisset perniciem, ut jussi fuerant, narran-  
 tibus, optimæ indolis Rex tenero com-  
 miserationis affectu commotus, vicissim  
 retulit, quid sibi Rex Angliæ, Præsuli ira-  
 tus,

c. 7.

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.

Psal. 4.

tus, scripsisset, & quid ipse respondisset.  
Et addidit: *Priusquam virum, amicum  
suum, & in tanto dignitatis Ecclesiasti-  
cæ fastigio positum, crudeliter haberet  
Rex vester, memorem esse oportuisset il-  
lius versiculi: irascimini & nolite pec-  
care.* Cui alter Legatorum respondit:  
*Forsan memor fuisset, si tam frequenter  
ac tu, o Rex, officio Divino, in quo de-  
cantatur, interfuisset.* Subrisit Rex, &  
altera die, suis ad consultandum conve-  
catis, Archiepiscopo Cantuariensi pacem,  
& in regno suo securitatem concessit.  
Tum Legatis ad Præfulem reddituris di-  
xit: *Ad antiquam Regni Francie Di-  
gnitatem pertinet, quod viri, exilio male-  
damnati, præsertim Ecclesiastici, in hoc  
Regno præsidium & tutelam nancisan-  
tur.*

### §. XII.

#### *Legati Angliae coram Pontifice.*

Legati Archiepiscopi, re feliciter gesta,  
ut quæ sibi mandata fuerant exsequen-  
tentur, Senones ubi Papa sedebat cele-  
riter perrexerunt, quo Regis Angliae Le-  
gati pridie pervenerant. Post eorum  
adventum complurium Cardinalium a-  
nimos partim spes lucri, partim timor,  
ne Rex iratus rem Ecclesiasticam turba-  
ret, suspendit. Dicebant aliqui, Tho-  
mam libertatis Ecclesiastice columnam  
existe-

c. 8.